

כְּסֵם וְהוּרִי

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

VERA

THEOLOGIA JOHANNÆA,

Ex Johan. Cap. XX. vers. 31.

Ταῦτα δὲ γέγραπται, ἵνα πιστεύσητε, ὅτι ὁ Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ
Χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ ἵνα πιστεύσαντες
ζῶν ἔχητε ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ.

Quam Adspirante DIVINI NUMINIS aura
In Celeberrimo Trebocorum Athenæo

SUB PRÆSIDIO

VIRI MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI
atq; EXCELLENTISSIMI

DN. BALTASARIS BEBELII, SS. TH. D.
ejusdemque Prof. Publ. famigeratissimi, & Eccle-
siasæ Vigilantissimi, Academiae h. t.

RECTORIS MAGNIFICI,

DN. Patroni, Promotoris, Fautoris nec non Præceptoris sui
pio honoris & obsequii cultu æviternum prosequendi.

PUBLICÆ defendendam sistit

in Ἀκαδημία αἰσίῳ.

ANDREAS SCHÆFFERUS, Landoa-Alfatus.
Ad d. 26 Maij. Anno Salutis M. DC. LXXXIII.

ARGENTORATI

LITERIS JOHANNIS WILHELMI TIDEMANNI.

VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Amplis-
simis, Prudentissimis, Maxime Re-
verendo, Experientissimo, Excel-
lentissimis, Præclarissimis
atque Spectatissimis*

LIBERALISSIMI LEGATI
PRECHTERIANI PRÆ-
FECTIS.

DNN. PATRONIS SVIS MAGNIS, ME-
COENATIBVS BENIGNISSIMIS,
EVERGETIS OPTIMIS,

Dissertationem hancce THEOLOGICAM

In Gratianimi Symbolum, ut & spem ulterioris in se
Patrociniij devota mente, humili corde,

Submissa manu


Confecrat & dicat

TANTORUM NOMINUM

cliens devotissimus

ANDREAS SCHÆFFERUS,

Respondens.



*Quod faxit author & Consummator nostræ
salutis! JESUS CHRISTUS!*



Onstituimus nobiscum, & ro-
gati quidem, agere de aliquo *fidei compendio*, eoque fine delegimus dictum
Johanneum c. XX. 31. seu ultimo: ubi
Johannes ait: *Τὰυτα δὲ γέγραπται, ἵνα πισύ-*

σητε, ὅτι ὁ Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ Χριστός, ὁ ἡγὼς τῆς Θεῶ, καὶ ἵνα πισεύσαντες ζωὴν
ἔχητε ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. i. e. vertente vulgato: *Hac autem*

scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus, Filius Dei,
& ut credentes vitam habeatis in nomine ejus. Lutherus
in suis Bibliis transtulit: *Diese aber sind geschrieben/
daß ihr glaubet / Jesus sey Christ / der Sohn Gottes /
und daß ihr durch den Starben das Leben habet in
seinem Nahmen.* Piscator ita: *Diese aber sind ge-
schrieben / auff daß ihr glaubet / Jesus sey Christus /
der Sohn Gottes / und daß ihr durch den Glauben
das Leben habet in seinem Nahmen.* Quæ principales
versiones cum non procul à se invicem abeant, indis-
cussas relinquimus, brevitate studiosi, & ad rem ipsam
progredimur. *Deus coeptis nostris adsit!*

§. I.

Cum de aliquo *fidei compendio* agere constituerimus, operæ
precium erit, aliquid prius delibare de *fidei principio*. Prin-
cipium apud Philosophos aliquid vocatur, quod rei alicui vel
originem suam, vel cognitionem, vel utrumque dat; Nam de
causali loquimur; quod est vel personale, vel reale, & rursus vel
rei vel cognitionis, & vel incomplexum, vel complexum; quo-
rum hoc vocatur alias propositio apodictica, quam, desiniente
Aristotele lib. I. post. anal. c. 3. oportet esse veram, primam, ac

immediatam, priorem, notiorē, & causam conclusionis. Adeoque principium fidei divinæ seu Theologicæ erit causa fidei Theologicæ, quam in animo hominis generat, eandemque, si examinata fuerit, fundat & confirmat, tanquã veram & infallibilem. Et est duplex, vel personale, vel reale. Istud est Deus, qui est Pater, Verbum seu Filius, & Spiritus Sanctus, ex quo, & per quem, & in quo omnia sunt. Rom. XI. 36. In quo vivimus, & movemur & sumus; Dicente eodem Paulo Actor. XVII. 28. Pater luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est. Jac. I. 17. Qui fidem in nobis operatur, tanquam suum opus. Joh. VI. 29. Hoc est Dei verbum, & quidem in S. literis comprehensum. Rom. I. 16. X. 8. XV. 4. Si quid demonstratum fuerit, quod habeat Deum auctorem, & verbum ejus fundamentum, jam demonstratum erit, quod sit verum & credendum, utpote quod impossibile sit Deum mentiri. Hebr. VI. 18.

§. 2. Tale Dei verbum est id quod allegavimus ex Johanne. Quod enim *Deus* per Johannem illud locutus fuerit, & scripserit, inde patet, quod sit *credendum*. Nullum enim verbum primò credendum est, nisi ejus qui est ipsa veritas, quæ fallere, vel falli non possit, qualis est solus Deus. Joh. VIII. 40. nullus vel Angelus Gal. I. 9. vel merus homo. J. CXVI. 11. Dico, *merus homo*. Nam sunt homines qui inspirati divinitus loquuntur, scribunt, diriguntur, ut tanquam instrumenta, seu causæ Deo subordinatæ fallere, vel falli non possint. 2. Pet. I. 20. 21. Talis fuit Johannes, Joh. XIX. 35. in hoc ipso actu, dum hæc scriberet. Nam scriptis suis voluit fide divina de aliquo fidei articulo, nempe Jesu Christo, credi, & credentibus promittit vitam æternam, quod nemo sanus petit, vel promittit, nisi is qui novit, Deum per se loqui, & vitam æternam dare. Joh. XX. 31.

§. 3. Patet autem exinde, quod *dogmaticum fidei principium sit Scriptura Sacra*. Audit Scriptura Sacra, quod sit divinitus inspirata, & utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus. 2. Tim. III. 16. 17. quæ est principii alicujus Theologici genuina descriptio. Et tale est nostra

stra quoque pericope Johanniæ; Nam docet nos, quis sit Jesus Christus, nempe Dei Filius, & auctor salutis, & arguit illos, qui præter ipsum alium constituere volunt Messiam, & salutis auctorem; Et corrigit quotquot in ipsum impingunt; informat quotquot pie vivere volunt in Christo Jesu; Est igitur fidei Theologicæ principium. Si fuisset aliud, quam scriptis comprehensum, verbum Dei, ex quo nosse potuissent, Jesum esse Messiam à Prophetis promissum, Dei Filium, & salutis fideique salutiferæ promum condum, non applicuisset manum scribendo suo Evangelio Johannes, quod ipsum Dei verbum est, conforme verbo Dei, Patriarchis, Prophetis, & reliquis Apostolis inspiratum.

§. 4. Constat hinc, quod *sola* Scriptura Sacra sit fidei divinæ nuncquidem temporis principium. Non quidem statim ab initio Ecclesiæ & fidei divinæ Deus verbum suum scriptis Canonicis comprehendit, & credendum commendavit; sufficiebant enim traditiones orales, quas de manu in manum, sive de ore & os sibi Deus & Patriarchæ commendabant: Neque tamen aliud verbum credendum communicabatur, nisi quod postea literis commendatum est. Nimirum illud ipsum verbum, quod ex ore Dei ante Moysen audiebant, etiam in literis legebant, cū Moyses authenticis illis, Dei jussu, ipsum infinuabat. Quemadmodum in N. T. Apostoli & Evangelistæ nullum aliud verbum in literas retulerunt nisi illud quod antehac verbis divinis prolaturū fuerat. 1. Joh. I. 1. & 3. Quare materia, quam vocant, scripturæ semper fuit fidei principium, & solum fuit fidei principium, etsi sub diverso habitu, seu accidentibus proferretur. Et verbum Dei, quod Johannes literis vestivit, & exhibuit, est illud ipsum verbum, quod Adam, Noah, Abraham &c. locuti sunt. Id quod colligitur ex A. & X. 43. XV. 11. XXVI. 22. Nunc vero, postquam verbum Dei literis comprehensum, & scriptis Canonicis illatum est, solum est fidei principium, cui credendum est ab illis, qui volunt justificari & salvari. Colligitur ex 2. Pet. I. 17. coll. cum v. 19.

§. 5. *Propheta in V. T. & Apostoli atque Evangelista in N. T. fuerunt infallibiles in percipiendo, & scribendo, & fideles in referendo verba divino.* Probatum ex nostra pericope. Quod enim Johannes

talis fuerit, inde probatur, quia vult sibi credi, quod Jesus Nazarenus sit ille ipse Messias, de quo Prophetæ V. Test. vaticinati sunt, & quod sit Filius Dei, & quod sit auctor salutis, & promittit vitam æternam talia sincere credentibus; Hæc vero mysteria novit ex Prophetis, qui & ipsi infallibiles fuerunt in percipiendo, & in referendo hos fidei articulos, digni, quorum testimonia fide divina acciperentur, & complemento exornarentur. Pone, Prophetas in V. T. in alterutro, vel utroque fuisse hallucinatos, Johannes suo complemento non potuisset probare, Jesum esse Christum, nempe illum ipsum, de quo veteres Prophetæ vaticinati sint; Nam vel errasset, ut ipsi, vel diversum quid ab ipsis, forte etiam à rei veritate, tradidisset, ut est multiplex falsitas: quodcunque acceperis, irretitus teneberis. Pone contra, quod Prophetæ fuerint infallibiles in percipiendo, & fideles in referendo, Johannem vero fuisse falsum; Manebit ergo, quod Johannes errabundus sibi fidem haberi voluerit, & vitam æternam credentibus sibi temere promiserit, quod etiam est absurdum, Manet igitur, & V. T. & N. T. Scriptores fuisse infallibiles in percipiendo, & fideles in referendo.

§. 6. *Libri, in quibus aliquid habetur, & primò quidem, seu auctoritas, & principaliter de Messia, sunt Canonici; in quibus vero nihil habetur de Jesu Christo, tanquam Messia, Filio Dei, & auctore salutis, non sunt Canonici, & credendi.* Seponimus nunc istam controversiam, an dictum hoc agat de omnibus vel pluribus, vel paucioribus fidei articulis? illud tamen nobis manet, quod viri *scriptores* scripserint de Jesu Christo, quod sit Dei Filius, & auctor salutis. Nam Johannes, unus ex Apostolis, & Evangelistis, scripsit de Jesu Christo, quod sit Dei Filius, per cujus nomen sumus salvandi, & sic probavit, quod sit *sub Inq.* Prophetis, qui idem testati sint. De Prophetis dixit Petrus, quod de Jesu Christo omnes testimonium perhibeant, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. Actor. X. 43. Paulus 1. Cor. II. 2. neminem alium inter suos vult scire nisi Jesum Christum, eumque crucifixum: qui tamen in suo officio nihil dixit præter ea quæ futura prædixerant Moses & Prophetæ, nempe de Christi passione, & resurre-

surrectione, & prædicatione Act. XXVI. 23. 23. Oportet igitur & Prophetas, & Oceanum Prophetarum, Mosen, vaticinatos esse de Christo, ut patiente, & moriente, & resurgente. Et quisquis talia non prædixerat, Propheta non erat. Nam nihil dixerat de præcipuo fidei momento, Filio Dei, incarnando, & salutis auctore: Quare nec credendum erat ipsi: Nec verbum ejus tanquam Canon sequendum erat in aliis minoris momenti punctis. Communis Theologorum Canon est, non esse librum Canonicum, in quo nihil vel *κατὰ πρόβλεπον*, vel *κατὰ διάνοιαν* de Messia habeatur: Contra, si quis ex ore Domini Dei sui aliquid acceperat de Messia, & ejus beneficiis, idque scriptis suis Canonicis inseruerat, is proscriptore *θεοπρόβλεπος* habebatur.

S. 7. *Libri, in quibus originaliter tale quid habetur, sunt scripti à viris, qui Spiritus Sancti fuerunt amanuenses.* Maxima Apostoli est, quod nemo possit Jesum vocare Dominum, nisi per Spiritum Sanctum; Qui vero scripserunt, Jesum esse Christum, Dei Filium, per ejus nomen credentes salventur, vocarunt Jesum Dominum; Hæc enim Domini definitio aliqua est; quare per Spiritum Sanctum fecisse, necesse est. Sicut David Jesum vocavit Dominum 2. Sam. XXIII. 2. seqq. Et Jesaias, vel potius Messias per Prophetam. Jes. LXI. 1. Ita etiam Johannem organum Spiritus Sancti fuisse necesse est, quia ejus instigatu scripsit quæcunque de Messia scripsit. Scripsit eum esse Messiam, qui Filius Dei, & noster Dominus sit, in quem credendum, & per ejus nomen salvandum sit, tanquam Domini, qui nos speculum sibi emit & redemit.

S. 8. *Igitur Scriptura Sacra principia credibilitatis in sese habet.* Nam habet in sese articulum de Christo, qui docet, quod divinitus inspirata sit, quandoquidem nemo ex se scire possit, quod aliquis sit Jesus, qui sit Dei Filius, Messias, & salutis nostræ, quæ & ipsa homini per naturam non innotescit, auctor & promotor. Ex his, & similibus, *επιτηδεύσις* seu fidei articulis innotescit, aliquod scriptum esse supra rationis captum, ab altiori nimirum principio profectum, quod Spiritus Sanctus appellatur. Dum igitur illos fidei articulos in sese complectitur, complectitur in sese argumenta credibilitatis, & de se ipsa

se ipsa docet, quod sit Dei, altioris alicujus principii, verbum, 1. Cor. II. 13. Apostolus digitum intendit, dum provocat ad suos sermones, divinitus inditos, & ad materiam divinam, quam verbis eloquebatur, non nisi à Spiritu Sancto explicandis. v. 16. innuens, ex materia & stylo de Script. Sac. esse judicandum. Quare vaticinia de Jesu Christo, sicut & per ipsius nomen vita æterna habenda, non possunt proficisci nisi ex Spiritu, vel Deo omniscio; Neque medium salutis haberi originaliter potest, nisi ex Deo, qui vitam æternam dat, utrumque habetur, sicut in reliqua, ita etiam in hac scriptura.

§. 9. *Credimus secundum Scripturam Sacram, etiam ea, quæ probabilitatem & fundamentum in ratione non habent, modo sint congrua verbo Dei in Scripturis contento.* Credimus enim articulum de Jesu Christo, ejus persona, officio, & beneficiis, quæ in ratione non modo fundamentum nullum, sed ne quidem probabilitatem habent. Esse enim aliquem Dei Filium, & hunc esse Mariæ Filium, Messiam, credendum, redemptorem, & salvatorem, vitam item esse æternam hominum sua natura mortalium, de his & similibus ratio sibi relicta nihil novit, & tamen creduntur, solum ideo, quia in verbo Dei & S. literis habentur; Oportet igitur aliquid credere, vel credi, ideo quod in verbo Dei scripto habetur, etsi ratio plenis buccis reclamet. 1. Cor. II. 1. seqq. aliquid hujus mysterii revelatur, dum revelatur, quod Apostolus prædicarit & scripserit sapientiam omni humana ratione sublimiorem, & edisseruerit verbis, quæ nec ipsa sapiant eloquentiam aliquam humanam, credenda tamen sint, etsi supra rationem constituta, quod Spiritus Dei, arcanorum divinorum scrutator, ea inspiravit.

§. 10. *Libri Veteris Testamenti sunt scripti lingua Hebræa, Novi vero Græca.* Innuitur hoc binis vocabulis *Jesus* & *Christus*, quorum istud Hebræum à ישו *salus*, hoc vero Græcum, à χριστος *ungo* derivantur, quibus duabus linguis instrumentum Hebræum, & Græcum concepta sunt, & summa utriusque instrumenti his duabus vocabulis continetur, quod aliquis Dei Filius sit *Jesus*, seu Salvator generis humani, per peccatum corrupti & perditissimi, quæ sit & *Christus*, sive unctus, Spiritu Sancto, eo fine, ut officio suo rite fungatur, quæ mysteria sciri non possunt, mediate quidem,

quidem, nisi per Ecclesiam, cui mysteria sua in suo idiomate commissa sunt. Rom. III. 2. IX. 4. 5. Neque ab Ecclesia nisi per Dei verbum sive voce, sive scriptis, voci consonis, conceptum.

§. II. *Decet tamen Scripturam Sacram in linguas vernaculas, seu intelligibiles, convertere, ut fides inde possit concipi, & per fidem salus impetrari.* Vocabulum enim *Jesus*, quod Hebræum, & V. Testamenti, & Ecclesiæ N. Testamenti incognitum est, versum est in linguam Græcam, *Christus*, cui hæc vox vernacula & cognita est, ut cognosceret, Jesum esse illum Christum, seu unctum, in cujus nomen fideles crederent & salvarentur. Primus fidei actus est notitia, quæ vero nusquam est, nisi voces peregrini idiomatis vertantur, & intelligantur. Quo sine Spiritus Sanctus in N. T. dedit etiam interpretes linguarum exoticarum, ut earum vocabula in linguas vulgo notas possint convertere 1. Cor. XII. 10.

§. 12. *Finis Scriptura Sacra, & intermedius quidem, est fides in Jesu Christi personam & officium.* Scripta enim hæc sunt, ut credamus, Jesum esse Christum, Dei Filium, & Salvatorem generis humani: quod si quis crediderit, habet quod Scriptura proxime intendit. Indigitat hoc quoque Paulus Rom. I. 16. ubi ait, se non pudere Evangelii de Christo, ejus scilicet persona & officio, quandoquidem sit Dei vis ad salutem omni credenti; adeoque etiam organum Dei efficacissimum, accendendi fidem, per quam ad salutem pervenitur. Repetit & plenius quidem, c. X. 8. seqq. ubi docet, quod justitia fidei, quæ ex verbo venit, nitatur Scripturis Sacris, quibus *Fides* accendatur, per quam salus hic in spe, illic locorum in re, impetretur. vers. 11. 13.

§. 13. *Adeoque salus, seu vita aterna, est ultimus finis Scripturae Sacrae, seu verbi divini in scripturis contenti.* Palam hoc asserit Johannes in sua pericope, quando ait, credentes, scilicet ex verbo scripto, habere vitam, scilicet aeternam, quæ est gratuitum Dei donum, datum propter Christum vera fide, ex scripturis concepta, cognitum, apprehensum, & applicatum. Nimirum non est in aliquo alio *salus*, nisi in Jesu Christo; Nec enim aliud est præter hoc sub cælo nomen hominibus datum, in

quo oporteat nos salvos fieri, Act. IV. 12. nempe, nisi in nomine Jesu, qui Christus, & Dei Filius est. Sed nec aliud est efficacissimum medium datum homini, nisi nomen Jesu, quod est summa efficaciarum Dei, nempe Evangelii, ad salutem ordinati. Rom. I. 16. Et is est finis vocis Jesu Christi; Nam ideo dictus est, ut populum suum salvaret à peccatis suis. Math. I. 21. Est autem salus vel in spe vel in re respicienda: Utroque respectu finis est scripturæ. Nam qui in Jesum credunt in spe, habent salutem in Ecclesia militante, tanquam promissum bonum; Qui vero eundem apprehendunt, in regno gloriæ, itidem habent, & in re quidem, salutem. Act. II. 21. X. 9. Tit. III. 5.

§. 14. *Finis hic obtinetur lectione, auditione, meditatione, & collatione scripturæ sacræ.* Obtinetur enim fide, Fides autem constat ex noticia, assensu, & fiducia, quæ sunt partes, seu formales fidei actus, collecti ex lectione, vel auditione, meditatione, collatione &c. scripturæ. Act. VIII. 28. seqq. Quare qui nosse vult, Jesum esse Christum, Dei Filium, & mundi salvatorem, noverit illud ex lectione, vel auditione eorum, quæ à Prophetis & Apostolis de eo scripta exstant. Posset quidem Deus pro sua omnipotentia fidem in nobis sine verbo accendere, non tamen vult, sed accendit per verbum suum, quod etiam in S. literis habetur, & ita vult homines ad fidem, & salutem adducere. 1. Cor. I. 21. 23. II. 4. seqq.

§. 15. *Quare omnes homines, quotquot volunt credere & salvari, tenentur verbum istud legere, audire, & intelligere.* Omnes homines tenentur credere, & salvari, adeoq; & facere, quantum in se est, quod ad suam fidem, & salutem pertinet, quanquam dispari necessitatis gradu: Nam qui vult finem, media quoque pædagogica velle necesse est, nempe lectionem, auditionem, & meditationem. E. ad hos actus obligati sunt: *Etiam Laici;* Nam & hi tendere tenentur ad fidem, & ejus finem, vitam æternam. Collimat huc dictum Christi Joh. V. 39. Multo magis autem ministri verbi ad hoc sunt obligati. 2. Tim. III. 16. 17.

§. 16. *Hic finis, & hæc obligatio, locum non habent, nisi ubi scripturæ est clara, in se, & relativè.* Claritas duplex est, alia objectiva, cum objectum clare proponitur, alia subjectiva, seu relativa,

cum,

cum quod clare proponitur etiam mente & intelligentia percipitur, & apprehenditur, vel certe percipi, & apprehendi potest; Et tum demum proponens sine suo potitur, vel potiri potest & debet, & recipiens obligatus est ad fines suos, & ad officium, intermedium & ultimum. Cum igitur Scripturæ Sacræ finis sit credere, & credendo salvari, & omnes homines, saltem adulti, obligari sint ad hoc procurandum, sequitur, scripturam ita esse claram, ut intelligi possit, & credentes tantum ex scripturis haurire, quantum ad fidem concipiendam & tenendam sufficit: secus si foret, haberent causam sui excusandi, & defendendi. Johannes ait, scripta hæc esse, ut credantur. E. oportet ita esse scripta, ut credi, i. e. intelligi etiam possint: Intelligi autem non possunt, nisi ea, quæ clare proposita sunt, & percipiuntur. Salvari est Dei præceptum; Præcepta autem Dei clara sunt, & claros faciunt oculos mentis, 1. XIX. 9. CXIX. 105. Prov. VI. 3. Est & Evangelium, quod clarum esse, etiam nobis, contendit Apostolus. 2. Cor. IV. 3. Et Prophetia, quæ est instar lucis, lucentis in loco caliginoso, donec Lucifer in cordibus nostris oriatur. 2. Pet. I. 19.

J. 17. Requiritur etiam *efficacia, qua oculi mentis regenerentur & renoventur, ut videant clarum Evangelii lumen.* Johannes ait, scripta hæc esse, ut credamus; credere autem non potest, nisi in quo lumen sit efficax, & illuminet cor, antehac infidele, & mortuum: Quare necesse est, ut verbum scriptum habeat vim vivificandi & illuminandi corda credentium. Prius probatur ex Eph. II. 1. posterius ex 2. Cor. IV. 3. 4. Act. XVI. 14. 15.

J. 18. *Perfectione quoque sive partiali, sive totali in rebus credendis opus est.* Est perfectio aliqua duplex, vel *partialis*, in aliqua credendorum parte, e. g. in materia de resurrectione Christi, quam Christus signis, à Johanne recensitis, satis & abunde probaverat; vel *totalis*, quando reliqua quoque fidei capita, quæ inde pendet, & vel dicta, vel scripta, vel facta, perfecta existant. Si prior sensus h. l. obtineat, juxta Theologos quosdam vetustiores, & recentiores, dicentes, h. l. sermonem esse de perfectione partiali, nempe articuli de veritate resurrectionis Jesu Christi, Perfecta erit hæc scriptura, quia Johannes ex infalli-

bilibus iudiciis demonstraverat, Jesum Nazarenum ex mortuis esse resuscitatum, & eum esse, in quem Prophetæ digittum intenderint, tanquam in Messiam, ex morte, quam subierat, resuscitandum; sin vero posterior locus habeat, etiam sua perfectione, totali nempe, non carebit scriptura johannea. Nam Johannes scripserit suū Evangelium tam perfecte, ut inde cognosci potuerint Jesu Christi persona, & officiū, cum quibus connexi sunt reliqui articuli fidei, sive ut antecedentes, sive ut consequentes, sive etiam ut concomitantes, sine quibus Jesus non foret nomine hoc dignus, & effectu, juxta quidem reliquos fidei articulos: Jesus, e.g. est Filius Dei; Deus igitur est Pater, quæ est prima Deitatis persona, altera est Filius, qui simul homo est; Alias Jesus non esset, qui sua passione & morte à peccatis nos redemisset, & æternum salvaret. Ab utroque procedit Spiritus Sanctus, à quo impulsī locuti sunt sancti Dei homines, 2. Pet. I. 21. Quibus tribus personis nisi competeret divina essentia & personalitas, etiam attributa & opera non competent: sublatis hisce etiam secunda persona non esset verus Deus, idoneus, qui aliis vitam æternam promereretur; Atqui hoc facit, E. opus est, ut sit verus Deus, & ut reliquæ Deitatis personæ, omnipotens, infinitus &c. in dictis & factis. Ex quibus resultant communio naturarum, communicatio idiomatum, officia, & status, quæ necessaria sunt ad officium Messianum, eaque causa est hominibus ad æternam salutem adducendis; & quidem per media & instrumenta divinitus ordinata, quæ mox recensebimus.

S. 19. Ostensō & firmato Theologiæ principio, opus erit de ejusdem *Fine* cum $\tilde{\epsilon}$, tum $\tilde{\phi}$ agere. Duplex finis est, $\tilde{\epsilon}$ vel $\tilde{\phi}$, uterque h. l. insinuat. Nam quod finem $\tilde{\epsilon}$ attinet, idem est, qui est Scripturæ Sacræ, vita scil. æterna. In hac acquiescit dictum Johanneum, tanquam termino hominis credentis, cuius illa fidei finis est. 1. Pet. I. 9. Subordinatus huic ultimo fini est *fides*, quem & ipsum Johannes exprimit, quando ait, scripta hæc esse, ut *credamus*, innuens, Theologiam, quæ in Scriptura Sacra tradita est, respicere ad fidem, ut hanc in hominum animis accendat, & per eam vitam æternam homini credenti & perseveranti largiatur. Habetur hic finis $\tilde{\epsilon}$, cum habemus Deum

Deum trinunum, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, visione beatifica comprehensum. In illa enim vivifica Dei visione consistit æterna beatitudo. 1. Cor. XIII. 12. 1. Joh. III. 2. Deum esse, testatur ejus verbum, tanquam effectus de sua causa, quod non sinit eum sese *ἀμαρτυροῦν*, ne nimirum homines haberent excusationem, si vel ipsum non colerent, ut decet, vel ipsi condemnarentur. Eum *Deum*, esse personis multum, itidem Iohannes probat, quia in Deo est aliquis Filius, qui Patrem habet, adeoque duæ personæ, Pater & Filius, à quibus procedens Spiritus revelat hominibus viam salutis. Omnes tres personæ sunt unus Deus Joh. XVII. 3. & Spiritus, quia attributa divina de illis in abstracto prædicantur. c. XIV. 6. utpote de Deo Spiritu. c. IV. 24. qui immensus est Spiritus, à Patre datus Filio sine mensura. Joh. III. 34. Quo ipso æterna & infinita reliqua ejus attributa & opera probantur: ut & cultus, qui divinus est.

S. 20. *Finis* sunt homines, indigitati per vocabulum *ὁμῆς*. *Vos*. Hac voce indigitatur, hominem quondam fuisse creatum; Creatus autem est ad vitam æternam, Sap. II. 23. Adeoque si creatus ad vitam æternam est, ejus etiam ad media, creatus est, quæ sunt attributa imaginis divinæ, vel potius ipsa Dei imago, consistens in justitia & sanctitate. Eph. IV. 24. Cujus finis fuit æterna vita, ad quam homo pervenisset, si sanctus & justus mansisset, ut non mansit, peccato commisso; Nam hoc & contra voluntatem Dei est, & mortem etiam æternam meretur. Rom VI. 22. 23. Quare per peccatum homo factus est ineptus ad vitam æternam, ut opus haberet aliquo alio Redemptore, à quo vita ipsi restitueretur; Non vero merus aliquis homo requirebatur, utpote qui ineptus, ut alteri, ejusdè criminis reo, vitam amissam restituar, utpote ipse peccator. Psal. XLIX. 9. sed *θεαρτυροῦν*, qui pati, & mori, & infinitè quidem, ut Deus, & innocenter, utpote sanctus per omnia, posset. Homo per peccatum adeo corruptus est, ut sine Dei revelatione, & verbi manifestatione, nullam habeat rerum divinarum sufficientem notitiam, vel fidem, vel finem, seu vitam æternam; secus scripto ea revelata non essent, ut ille fidè hinc, & per fidem vitam æternam conciperet, ut potest, Johanne affirmante;

Cum autem Deus ipsam velit salvum, etiam verbum suum ultro revelat, & sacramenta offert per ministerium, ut fides accendatur, & salus impetretur, quæ omnia argumento sunt, hominem ex sese nihil in his valere; sed omnia gratiæ, misericordiæ, potentiæ, sapientiæ & operationi divinæ debere. In hac infirmitate sicut sunt omnes homines, Rom. III. 23. Ita omnes sunt objectum gratiæ Divinæ, & mediorum, ut salventur. Deus per Evangelium Johannis vult in omnibus accendere fidem, & per fidem omnibus dare vitam æternam, propter Christum, qui pro omnibus mortuus est, & per suum nomen omnibus vult vitam æternam largiri: 1. Tim. II. 4. Nam verbum istud in omnium gratiam scribi, proponi, & conservari voluit. Rom. XV. 4.

§. 21. Homines in unum collecti constituunt *Ecclesiam*, quæ est congregatio *fidelium*, qui in Christum *credunt*, & etiam tandem, perseverantes, *Salvantur*. Innuit hoc pluralis numerus: *ut credatis*, sic enim indigitat Johannes, Ecclesiæ potissimum gratia verbum justificum & salvificum esse scriptum. DEUS & natura quidquid faciunt, faciunt propter certum aliquem, unum, vel plures, finem; Adeoque cum & scriptura auctoritate divina conscripta sit, apparet, eum DEUM, qui scribi jussit, respexisse ad certum aliquem finem, nempe homines, ut crederent, & salvarentur: Dico, & *salvarentur*, quod Electorum attributum est; Ad electos igitur potissimum Ecclesia spectat, medulla nempe, & melior Ecclesiæ pars, ut sunt Electi, Math. XX. 16. Rom. VIII. 13.

§. 22. *Dividitur* Ecclesia in tres *status*, politicum, Ecclesiasticum, & oeconomicum: qui quidem unum & idem sunt, ut sunt objectum scripturæ, fidei, Christi, & vitæ æternæ. Neque enim plures, sed unus solum, sunt in Christo JESU. Gal. III. 28. Sed differunt in ordine causarum, Ecclesiæ, & salutis. Status *politicus* habet *imperium*, per quod DEUS homines cum auctoritate vult adducere ad Ecclesiam & salutem. Rom. XIII. 1. seq. 1. Tim. II. 2. 3. 4. 5. *Ecclesiasticus* habet ministerium, quo Deus utitur, ut corpus suum, Ecclesiam, colligat, & corroboret. Eph. IV. 11. seqq. *Oeconomicus* & ipse operam dat, etsi privatam, ut beneficiorum Christi & mediorum salutis participes fieri, & frui, cum suis, possit. 1. Tim. II. 2. Phil. II. 2. Et hi

tres status Ecclesiam etiam intrinsece constituunt, tanquam membra corporis mystici, quæ Deus salvare vult, & salvari, etiam per verbum salutis, Evangelium, quod omnibus sine discrimine vult impertiri, & per sacramenta, per quæ gratiam à Jesu Christo partam per Spiritum Sanctum ipsis offerre & applicare vult. Nam Evangelium non abolet politias, sed relinquit, ut inter homines locum hæc habere possint.

§. 23. *Istos tres status oportet esse in suo ordine, si DEUS velit, voluntate consequente, ipsis dare mediâ salutis & salutem ipsam.* DEUS utrique suæ voluntati inferuit ordinem. Per quem vult ad salutem ducere homines quorumvis statuum; qui vero ordo est, ut in Jesum Christum Dei Filium credant, in fide perseverent viva, seu vera, & ita per hanc fidem vivam salventur. Hunc ordinem vult omnes homines observare; Nam vult omnes salvari, Joh. III. 16. Et quisquis salvatur, ille prius fuit ordinis hujus observator, ut sunt observatores conjuges, parentes & liberi, Domini & servi, Ministri & auditores, Magistratus & subditi, quotquot salvantur. Hoc sine Johannes in Epistolis suis inculcat fidem & pietatem Christianam omnibus hominibus, & omnibus hominum ordinibus, nempe, ut taliter constituti sint in eo ordine, in quo DEUS eos vult salvare & salvari. 1. Joh. IV. 9. 10. 13.

§. 24. *Prima Trinitatis persona est DEUS Pater, quæ per suam amorem & gratiam inigium fecit nostræ salutis.* Nam mentio fit in nostra pericope *Filii DEI*, DEUS igitur est Pater, qui Filium habet, & qui auctor est omnis boni cœlestis, quod in nos descendit, ut per illud credamus, & credendo vitam æternam gratiæ primam, deinde gloriæ, habeamus. Filium habet, quem ex sua essentia ab æterno genuit, verè, & æternus pater; per & propter eundem *θεωτογονον*, fide apprehensum, & ejus nomen, vult nobis vitam dare, tanquam author & origo omnis causæ, & medii, quod ad illam vitam ducit, atque adeo author ipsius vitæ, sive sit in regno gratiæ imputata, & inchoata, sive in regno gloriæ, collata & æterna. Respicit ad ipsum Johannes, quando scribit, se scripsisse eo fine, ut crederent, aliquem Jesum, seu salvatorem, nempe populi sui à peccatis eorumque pœnis, & hunc Jesum, Nazarenum scilicet, esse Christum, seu

seu Unctum, quem Pater juxta humanam naturam unxit Spiritu Sancto tanquam oleo, unctioe infinita, utque hoc, quod & nomen ejus est, crederemus, & per fidem vitam, quondam amissam, beati haberemus. Sic omnia salutis nostræ momenta ex Deo Patre tanquam origine & fonte in nos promanant. Joh. III. 16. 1. Joh. IV. 9.

§. 25. *Filius, secunda Trinitatis persona, est DEUS, ut Pater, qui ipsum ab eterno genuit, sed & homo, qui patiendo & moriendo nos redemit, & transtulit ad vitam æternam.* Est in Trinitate persona quæ genita est, nempe Filius, & Deus est sicut gignens Pater; Sed in tempore assumpsit nostram naturam, & homo factus est. Juxta hanc naturam est unctus, ut esset Christus, seu unctus, unctus Spiritu Sancto, & infinitis ejusdem donis, secundum eam ipsam naturam, quam assumpsit, & ita accepit infinita Deitatis axiomata omnia, ut nomen acciperet, in quod crederetur, obedientiam nimirum activam, & passivam, infiniti pretii, & per illud vita gratiæ & gloriæ obtineretur. Omnia hæc Johanna pericope innuit. Nam innuitur Filiatio, quando mentio fit Filii Dei; atque adeo etiam Deitas. Nam Pater Deus est, quare & Filius; Filius enim naturalis est, quia unus & solus Filius est. Simul & humana natura, quia JESUS & Christus est. JESUS per redemptionem à peccato, quam præstare non potuisset, nisi assumpta humana natura, in qua obediendo & patiendo peccata, eorumque pœnas, in sese susciperet, & expiaret, & ita peccatores à suo onere levaret; Non potuisset autem hoc, nisi & Christus esset, qui unctus Spiritu Sancto, & ejus donis, infinitæ virtutis esset, Propheta, sacerdos, & Rex, cujus actiones & passiones essent infinitæ virtutis, ut per naturæ, & axiomatum seu attributorum divinatorum, comunione, ita etiam per Spiritus Sancti, & donorum infinitorum collationem: Quare & Christi fit mentio; JESUS Christus ille, Dei Filius, habet *nomen*, quod complectitur omnes causas & respectus salutis, in quos nos decet intueri, & personam hanc *beate deum* nosse, in ipsam credere, sperare, & vitam æternam obtinere. Laudatur Phil. II. 9. *Nomen supra omne nomen*, in quo decet genua omnes flectere, & credere, quod ille sit Dominus, in gloriam Dei

am Dei Patris. Et ultra hoc nomen non est aliud datum hominibus, in quo oporteat salvari. Act. IV. 12.

§. 26. *Spiritus Sanctus, tertia persona est Deitatis; Distincta à Patre; Neque enim habet Filium; Et à Filio, neque enim habet Patrem, Paracletus, qui generat fidem, & per fidem in nomen Jesu confert vitam.* Omnia hæc revelavit Deus per Johannis pericopen. Revelavit enim *Patrem*, dum revelavit ejus *Filium*; Et hoc ipso distinctum à Patre *Filium*, quia omnis *Filius* à Patre distinctus est realiter; Et *Spiritum Sanctum*, à quo impulsus locutus est vir Dei. 2. Pet. I. 21. Per quem credimus. Ipse enim testatur de *Filio*, adeoque & de *Patre*. Joh. XIV. 23. 26. XV. 26. XVI. 7. 13. seqq. distinctis inter sese Joh. XV. 26. tanquam de objecto fidei, in quod credendum est, & fonte salutis, ex quo vita æterna manat Joh. VII. 37. 2. Cor. I. 21. Eph. I. 13.

§. 27. *De tribus hisce personis unius ejusdemque Deitatis non constat, nisi ex verbo Dei, & Salus inde pendet.* Quod unus sit Deus, patet ex singulari voce: *DEUS*, cui *Filius* attribuitur. Nam licet vox, Deus, sumatur h. l. personaliter, tamen persona ista non est alius Deus, quam vel secunda vel tertia, quia *unus* est Deus, scilicet essentia, & ejus unius Deitatis sunt tres realiter distinctæ personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quæ omnes unus sunt Deus. Deut. IV. 35. VI. 4. Marc. XII. 12. 1. Cor. VIII. 5. Operosus in operibus ad *extra*, quæ si creaturas attinent, fit, ut omnibus tribus personis, salvo tamen ordine, communia sint, Pater generat *Filium*; Non vero *Filius*, qui Pater non est, sicut nec *Spiritus Sanctus*; vice versa *Filius* est à Patre genitus, non Pater aut *Spiritus Sanctus*, qui *Filius* non sunt; *Spiritus Sanctus* procedit ab utroque, quod neuter istorum facit, adeoque solus *Spiritus Sanctus* est. De quo mysterio natura, vel ratio, nihil norunt, quare revelandum est a Deo, & Deus revelat ordinarie per verbum scriptum, salutis nostræ instrumentum.

§. 28. *Trinunus Deus operatur nostram Salutem per ministerium, verbum, & sacramenta.* Ministerium repræsentat Johannes Evangelii scriptor, fidei & salutis æternæ minister, & homo eo sine à Deo vocatus, ut per ipsum mysteria divina innotescerent & conferrentur. Scripsit ille Evangelium de Christi persona, naturis, officio, merito, & beneficiis, non inconsulto im-

petu; sed ex instinctu Dei, & eo fine, ut homines crederent in Jesum, de quo scripsit, & per fidem in nomen ejus salventur. Opus hoc est ministerii Ecclesiastici, nempe, ut ex hominibus, ex quibus eligitur. Ebr. V. 1. segregatum à Deo Trinuno Esai. XLIX. 4. Luc. X. 16. 1. Cor. III. 5. prædicet, qua voce, qua scriptis, nomen Dei Actor. IX. 15. fidem generet Rom. X. 14. 15. Et quidem nixam persona & merito Christi. 1. Cor. I. 30. 31. II. 2. Et per fidem salvet, 1. Tim. IV. 16. Fidem autem istam generat non immediate, sed mediate per *verbum*, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti. Rom. I. 16. Et fidem generat, si prædicatur, scribitur, auditur, aut legitur. Rom. X. 8. Et genitam conservat. Nam & in eo stamus. 1. Cor. XV. 1. & 2. Et per idem salvamur; dum conservat fidem, quæ salvat. Mediate etiam per *sacramenta*, quæ verbi quædam quasi sigilla sunt, ut est *Baptismus*, per quem salvamur Tit. III. 5. Administratus per ministerium Apostolorum & sequacium. Math. XXVIII. 19. & 20. In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, quorum unum commune nomen est in baptismo, quia opus est ad extra. Adcoque etiam per nomen Dei salutem in Baptismo habemus, quando habemus eam in nomine Christi. Joh. XX. 31. Alterum salutis medium, seu sacramentum est *Eucharistia*; Nam per eam habemus remissionem peccatorum, quæ est salus æterna. Psal. XXXII. 1. Rom. IV. 6. 7. 8. Propter corpus & sanguinem Jesu Christi, quibus in hoc sacramento fruimur. Math. XXVI. 28. Marc. XIV. 24. Luc. XXII. 19. seqq. Accepta sub externis symbolis panis & vini ex manu Ecclesiæ ministri, qualis fuit Paulus. 1. Cor. X. 16. seqq. XI. 23. Et Johannes, Evangelista, & Apostolus, qui quidem de Eucharistia nihil scripsit, sed solum de fruitione spiritali, c. VI. 53. seqq. At tamen ideo non scripsit, quod probaret scripta de eodem à reliquis Apostolis & Evangelistis.

S. 29. *Talia sacramenta sunt solum duo, Baptismus & Eucharistia, quia scriptura promissionem salutis nullis aliis elementis externis, & ceremoniis annexuit, quam hisce duobus.* Sacramenta sunt opera, quæ peraguntur circa elementa externa & visibilia, & annexam habent fidem, quam generant & obsignant, & per fidem in nomen Christi offerunt, & conferunt, vel obsignant æternam salu-

salutem; Id quod ex ratione generali sacramentorum, in confesso talium, colligitur; Tales vero ceremoniæ, ut sic vocemus, in N. T. non occurrunt plures, quam duæ; Neque adversarii hæcenus plures ex S. literis & genuina antiquitate, ostendere potuerunt; Quare & Johannes, quando, h. l. salvationis, vel vitæ meminit, non innuit plura, quam duo sacramenta, verbi & fidei figilla, & salutis, seu vitæ æternæ media.

§. 30. *Media hæc sunt & organa, per quæ Deus homines vocat, illuminat, convertit, justificat, regenerat, sanctificat, conservat, & salvat.* Colligitur ex vocabulis *credere, & salvare*, quibus Johannes h. l. utitur. Quisquis per aliquod verbum, vel scripturam, aliquem vult adducere ad fidem articulorum Christianorum, & ad nomen Jesu Christi, & salutem æternam, opus habet, ut per illud ipsum verbum conetur illum vocare, illuminare, convertere &c. Neque enim salvantur nisi vocati Math. XXII. 3. seq. 2. Tim. I. 9. seq. sicut nec illuminantur &c. Vocantur autem, & illuminantur, & convertuntur, & justificantur, regenerantur, renovantur, sanctificantur, & confirmantur per verbum, & per sacramenta: quare necesse est, ut ministerium verbi & sacramentorum interveniat, ut intervenit in hominis fide & salute æterna procuranda. Per verbum legis Deus homines vocat ad agnitionem peccatorum, Rom. VII. 7. sicut per verbum Evangelii ad agnitionem gratiæ, Joh. I. 17. Per utrumque hominem illuminat, ut videat Dei voluntatem cum legalem, tum Evangelicam. Rom. VII. 2. Cor. IV. 3. 4. convertit, ut Lydiam Act. XVI. 14. justificat; Nam remittit peccata. Math. IX. 2. Regenerat. Joh. III. 5. 1. Pet. I. 23. Renovat. Tit. III. 5. sanctificat Act. X. 44. 45. seqq. conservat. 1. Cor. XV. 2. & tandem salvat, id quod Johannes expresse ait.

§. 31. *Confirmatur ex effectu verbi & sacramentorum: Deus per hæc media generat causas & organa salutis in homine hinc poenitentiam, inde Remissionem peccatorum, justitiam, gratiam, vitam, resurrectionem, salvationem, quæ est Electorum.* Deus per verbum suum operatur partim agnitionem peccatorum, & poenarum, & ex hac contritionem; nempe per verbum legis; partim spem & desiderium gratiæ, nimirum per Evangelium, adeoque operatur poenitentiam, cujus duæ partes sunt, nempe contritio & fides.

Est quidem contritio qualitercunq; facta ex lege naturæ, cujus transgressionem, & transgressionis pœnam homo peccator ex natura non nihil agnoscit. Rom. I. 21. seqq. II. 14. seqq. sed tenuior est illa agnitio, quam ut idoneam contritionem operari possit; quare accedit lex, in S. literis à Deo legislatore revelata, & per hanc vera contritio, quæ operatur pœnitentiam ad salutem; Et hac facta accedit Evangelium suis promissionibus gratuitis, & operatur fidem, seu fiduciam ad Deum, qui nostra nobis peccata non imputat ad culpam & pœnam, propter Christum, Filium suum, inter Deum iratum & nos mediatorem, redemptorem, & salvatorem, ex quibus duobus actibus digna nascitur pœnitentia, constans ex contritione & fide, tanquam partibus essentialibus; per quas, salvo tamen ordine, vitam per Christum obtinemus.

§. 32. Obtinentes vitam habent etiam *remissionem peccatorum*. Nam vita effectus est remissionis peccatorum. Is vivit in regno gratiæ, quisquis coram rigoroso Dei justificantis judicio accipit remissionem ut peccatorum, ita pœnarum peccatis debitarum, quarum compendium mors est, obsonium peccati. Rom. VI. 23. Ezech. XVI. 6. Gal. II. 20. Idem etiam vitam habet in regno gloriæ, si in fide ista de remissione peccatorum & pœnarum, adeoque regno gratiæ perseverat, usque in finem sive fidei, sive vitæ, & adventus Domini. Quisquis perseveraverit in sua fide & pietate, salvabitur. Nam obtinebit fidei suæ finem, qui est vita æterna. 1. Pet. I. 9. Utrumque significat Johannes, quando ait, per fidem credentes vivere. Vivunt autem partim in justificatione, quando absolvuntur à morte, obtenta remissione peccatorum, per fidem, in nomen Jesu, non per opera, quæ non sunt fides, nec Jesum Christum, Dei Filium, nostrum mediatorem, & Redemptorem, ejusque nomen apprehendunt: partim in renovatione, in qua novas Spiritus Sancti vires in intellectu & voluntate præcipue accipiunt justî, & vivunt in justitia & sanctitate vera, quæ sunt imaginis divinæ anima; qualem vitam jam ante in regeneratione acceperant, cum in Filios Dei renascerentur, & adoptarentur; Vivent utique etiam aliquando in salvatione, cum mors ultimis hostis abolebitur, 1. Cor. XV. Et Deus omnia erit in omnibus.

§. 33. Eadem fides homini confert *justitiam*, quæ coram Deo valet. Non confert Deus vitam æternam, nisi justo, vel imputativè vel inhæsitivè tali; quare nec salvandis confert vitam, nisi per fidem in Jesum habuerint justitiam. Justitiam coram Deo valentem ex operibus nemo hominû habet; Nam hæc redarguuntur à lege, tanquã peccatis infecta, quare nec ex se habet, quia per naturam coram Deo propter peccatum ejusq; pœnam omnes injusti, & sub damnatione sumus; Quare aliunde eam habeamus necesse est, nempe à Christo, cujus, nostri Redemptoris, justitia nostra est per fidem, qua ipsum apprehendimus atque applicamus. Atque hæc caussa est, cur Johannes credentibus addicat vitam, nempe quia credunt in Jesum Christum, eamque fidem ex verbo Dei acceperunt.

§. 34. Constat ista fides ex notitia, assensu, atque fiducia; tanquam ex actibus formalibus. *Notitia* ad fidem requiritur; eaque *explicita*, nimirum Trinitatis, quod in Deo sit Pater, qui habet Filium, & Filius; qui habet Patrem, & Spiritus Sanctus, qui ab utròque procedit, & sanctis suis amanuensibus scripturam indidit, quæ sit fidei principium, & quod credendum sit, si velis salvari, nempe in fidei objectum formale; quod est Christus, Dei & hominis Filius, qui patiendo & agendo nobis vitam acquisiverit, & nomen dederit, per quod; apprehensum & applicatum, vita sit apprehendenda, ea nimirum, per quam peccator, propter culpam morti obnoxius, habeat vitam gratiæ & gloriæ. Hæc medulla est, quam *nosse* debet fidelem, sed & credere, seu assentiri; quod revera ita sese habeat, & omnem suam *fiduciam* in talibus collocare, quandoquidem in se peccatore, & infirmo non inveniat cui innitatur.

§. 35. Taliter credens coram Deo *justificatur*, & à peccatis absolvitur, & *justitia Christi*, coram Deo valente; donatur ex gratia. Innuitur vocabulo credere & vivere. Per fidem homo justificatur, quia apprehendit per eam gratiam Dei, remittentis peccata, & justitiam Christi, qui pro hominis peccatis mortuus est, & pœnas sustulit, & Deum placavit, & propitium nobis reddidit; Rom. IV. 3. Eph. II. 8. Per eandem fidem etiam vivit coram Deo in regno gratiæ, qui peccati pœnas illi remittit, & in regno gloriæ, in quo nec peccatum, nec peccati pœna, mors, erit, sed

mera Vita, quæ Dei est, & Dei donum, renumerantis suam imaginem, & habitantis in justificatis & electis.

§. 36. *Justificati regenerantur & adoptantur in Filios Dei per fidem, qua justificantur.* Vitam æternam non habebit, nisi credens, & quidem in credendo seu fide perseverans. Marc. XVI, 16. quod Johannes innuit, quando ait, nos per fidem habere vitam. Credentes autem sunt per fidem Filii Dei, Joh. I. 12. quare per fidem etiam regenerantur atque adoptantur, quod est fundamentum filiationis. Fides hominem immutat per lumen, quod in intellectu accendit, & per sanctimoniam, quam voluntati ingenerat, & per intellectum sanum, quem in affectibus producit, quibus & similibus novis & creatis viribus instructus homo aliter sentit quam olim, nempe ut Dei filius & hæres, loquitur aliter, & agit, ut ex actionibus cognoscas, longe diversum eum esse hominem, quam olim fuit, & longe etiam alium eventum, quam quondam, eum habiturum esse.

§. 37. Regenerati hoc ipso sunt etiam *renovati* in omnibus suis, maxime animæ, viribus, quarum beneficio dignos sese gerunt Dei favore, & beneficiis. Puto bona opera, quæ homo agit sive eliciendo, sive imperando, tanquam fructus dignos pœnitentiæ Math. III. 8. Antequam per fidem justificetur, regeneretur, adoptetur, & renovetur, agit opera carnis, quæ recensentur Gal. V. 19. 20. 21. Postquam vero justificatus, regeneratus, adoptatus, renovatus, &c. ad pœnitentiam, & hæreditatem vitæ æternæ adductus, est, tum demum profert fructus spiritus, qui enumerantur ibidem locorum, nempe §. 22. Gal. V. Et additur, quod talibus lex divina non sit adversa. §. 23. nempe nec coactione nec maledictione. 1. Tim. I. 9. Contra quos autem Lex non est, pro illis est, quippe qui ei obsequuntur, & promissionem hujus & alterius vitæ accipiunt. c. IV. 8.

§. 38. Ita renovati & frugiferi homines faciunt opera, congrua tabulæ decalogi priori & posteriori. *Priori*, ut sunt *Metus filialis, charitas Dei, & fiducia supra omnia.* Si enim Deus propter nostra peccata non pepercit suo Filio unigenito, & obsequioso, quanto minus nobis parceret, qui Filii ipsius naturales, & obsequiosi non sumus? Si dilexit nos, adhuc peccato-

res,

res, & reos, adeo, ut Filium suum unigenitum nobis salvandis destinaret, quid non ex eo speremus, & propterea supra omnia eum diligamus? Rom. VIII. 32. seq. 1. Joh. IV. 9. 10. seq. *Sanctificatio nominis divini*, quale est Dei verbum, per quod Deum redemptorem nostrum, fidem, & vitam, ut ex nomine nominatum agnoscimus, cur non & sanctum habeamus, & celebremus? Nec agnoscimus solum, sed & impetramus vitam per nomen Jesu? Oremus igitur, vota concipiamus, psallamus, & similia bona opera per hoc nomen sancte agamus, ut suis illi constet inter creaturas honos, & adaugeatur. Hujus nominis gratia colamus etiam *Sabbatum*, utpote in quo nomen hoc concionando, audiendo, agendo, & similibus sacris actibus celebratur: qui actus ne impediuntur, vel infringantur, abstineamus à pravis operibus, quæ simul agere non possumus. Sic Deum diligamus, eo quo par est modo, super omnia, quæ Deus non sunt, sive sint in cælo, sive terra, Angeli, homines, & similia.

S. 39. *Altera tabula* huic par est, nempe *Secunda*, quæ agit de proximo, quem diligi oportet propter Deum. 1. Joh. IV. 10. Johannes mentionem facit *fidei*, per quam charitas producitur, & de qua charitas, ut fructus de arbore, & motus sive vita de animæ præsentia testantur. Gal. V. 6. Illa erga Deum fides generat charitatem, & per charitatem omnis generis virtutes 1. Cor. XIII. 4. seqq. Tales sunt: *honor parentibus*, & vicissim Filiis debitus amor. Quisquis enim credit, parentes, quicumque fuerint, à Deo autore esse; is maximi illos faciet propter Deum, quem in illis reveretur & colit; Et viceversa, quisquis noverit & crediderit, se habere Filios, quos Deus sibi dederit, & amari vult, ille ipsos amabit propter characterem divinum, quem in illis, sive propriè, sive analogicè tales fuerint, agnoscit. Dei gratia quisquis diligit suum proximum, ut se ipsum; si vero diligit ut seipsum, mali nihil illi inferet; Amor enim proximo malum non facit, sed bonum, 1. Joh. III. 20. 21. Sin vero malum non facit, ergo nec *lædit*, nec lædere cupit pravis desideriis, quibus malum ei saltem cupit & cogitat. Math. V. 44. seqq. 1. Joh. IV. 11. 21. seqq. Quo in loco Johannes plura argumenta coacervat pro mutua Dei, & proximi di-

mi dilectione, deducta ex Dei charitate erga nos, & Filii merito pro nobis. Qui Deum novit, & amat, abstinet sese ab impuris cogitatis, desideriis, verbis, & factis, quippe quibus Dei domicilium commaculatur; ut ineptum sit, in quo Deus Trinus sanctè habret: 1. Cor. III. 16. Sicut dignum redditur per castitatem debitam. *ψ.* 17. Abstinet sese etiam ab aliorum bonis contrectandis per furtum, sive crassum sive subtile, ut per illud rem alienam invito Domino ad sese transferat. Dominus autem est, non homo solum, possessor suorum bonorum, sed etiam Deus, dator & conservator, & director talium bonorum. Tantum enim abest, ut velit proximo suo bona per injuriam auferri, ut potius malit ea dari, conservari, & augeri. Eph. IV. 28. Deus est ipsa *veritas*; Et verbum ejus est *veritas*, verax est etiam in suis factis. Joh. I. 14. IV. 23. XIV. 6. XVI. 13. XVII. 17. &c. Quare qui diligit Deum, diligit & veritatem, à Deo dilectam & præceptam, corde, ore, opere. Neque loquitur contra proximum, ejusque innocentiam, sive clam, sive palam *mendacium*. Pf. XV. 2. XXV. 10. Joh. XVIII. 37. Id quod Deus jussit, cum vetuit *falsum* contra proximum dici *testimonium*. Denique Deus est liber ab omnibus, sive originali, sive actualibus pravis *desideriis*, utpote in quo malum non est. Math. VII. 11. 17. 18. Quare, qui Deum diligit supra omnia, abstinet sibi etiam à pravis desideriis & concupiscentiis, quale est de fugienda prava concupiscentia, dum studet servare ejus præcepta. 1. Joh. II. 3. seqq. Sic erit ab ipso tuta proximi domus, uxor, liberi, servi, jumenta, & quæcunque proximi sunt.

§. 40. *Talia opera nemo quidem hominum in hac vita ex asse potest prestare, non tamen propter defectum damnatur, ob Christum, quem fides apprehendit & applicat.* Utrumque probatur ex fide, cujus Johannes mentionem facit, ut apprehendit Christum, & credentem justificat & salvat. Christus non vocat ad poenitentiam, sed nec salvat nisi peccatores. Luc. V. 31. 32. Vocat autem & salvat etiam credentes, & salvandos; quare necesse est, ut fideles quoque & salvandi sint peccatores: Ut omnino sunt. Nam credens credit sua peccata sibi gratis propter Christum remissum iri; quales credentes sunt omnes pii & justii,

justi, qui proinde in oratione Dominica precantur Deum: *Et remitte nobis debita nostra*, sicut & nos remittimus debitoribus nostris, Math. VI. 12. Et salvandi credunt sese liberatum iri à suis peccatis, & pœnis peccatorum, quæ mors est, non propter suam, utpote imperfectam, sed propter Christi justitiam seu nomen; agnoscunt igitur suam in peccatis infirmitatem. Neque tamen desperant, qui fide possident Dei Filium, & ejus nomen, per & propter quod accipiunt ea, quæ Lex & opera ipsis dare non poterant. Rom. VIII. 2. seqq.

§. 41. *Fidem istam & opera oportet esse perseverantia, ut homo fidem suam possit acquirere.* Id Johannes innuit, cum fidem requirit usque ad vitam; oportet igitur fidem durare, donec vita hic gratiæ, illic gloriæ obtineatur, quæ est fides perseverans. Fidei perseverantis est animæ salus. 1. Pet. I. 9. Data ex gratia Dei propter Christum. Rom. VI. 8. ult. Operosæ per charitatem. Gal. V. 6. quale opus est patientia in tribulationibus. Jac. I. 4. Et omnia alia opera pietatis. 1. Tim. IV. 8. Et *unio mystica*, quæ fit per fidem justificam & salvificam in bonis operibus, quæ de Jesu inhabitante restantur. Joh. XV. 2.

§. 42. *Transitus ad hanc vitam fit per mortem.* Homo etiam credens adhuc tamen obnoxius est morti, non quidem, ut pœna; Nihil enim condemnationis est in iis, qui sunt in Christo Jesu, Rom. VIII. 1. Attamen ut *medio* per quod venit ad vitam, fidei promissam. Salvi & Beati sunt mortui, qui in domino moriuntur, utpote, dicente Spiritu, quiescentes à suis molestis laboribus; & sua ipsos bona opera consequuntur. Neque tamen manent in morte; Nam *redibunt in vitam*, beneficio Christi, qui nec ipse in mortuis mansit, sed resurrexit, & sua resurrectione reditum in vitam, vitam nempe etiam æternam, nobis recuperavit. 2. Tim. I. 10. Id quod h. l. Johannes clare asserit, dum refert, Jesum Christum vere resurrexisse, ut crederemus, nos quoque per ipsum victuros esse. Vivemus autem beate; secus enim beneficium non esset, & gloriose, sicut ipse, qui ex ignominia in gloriam, ex morte in vitam, ex passione in gaudia receptus est. Luc. XXIV. 46. quod ut & nobis contingat, cum Paulo & Johanne credimus, & exoptamus! Rom. VIII. 17. Joh. XX. 31. Amen!

Pereximio Dn. Respondenti suo.

O Pilio, dilecte, Tibi cognomen Amice
Præbet, quod spero, muneris omen erit. (dam
Grex sunt credentes, quos Christus sanguine quon-
Emit, & affusa lavit & unxit aquâ:
Quos quondam Pastor duces ad pasqua, donec
In cœlo carpant gaudia mille DEI,
Tu vero capias sacri promissa laboris
Præmia, quæ servis talibus Ille dabit.

f.
Exercitii Præses.

SCHÆFFERE, haud segnem tempus Te perdere carum,
Quod debes studiis omne dicare Tuis,
Monstras, solennem dum scandis ritè Cathedram,
Proponisque ampla dogmata materia.
Perge modo, duce Scripturâ: Sic crescere semper
Concedes (precor ut) summus Jova Tibi.

gratulab. f.

Sebastianus Schmidius. D. p. t.
facult. Theol. Decanus.

Ad Pereximium DN. RESPONDEN-
TEM, Amicum dilectum.

Johannæ fides clara defenditur à Te
Voce, accurato judicio, atque animo.
Johannæ fides Scripturâ nititur unâ,
Credientem in Christum vivere sola jubet.
Johannæ fides sinceri est pignus amoris,
Johannes puri Doctor amoris erat.
Christum amplexa fides per Christum discit amare,
Hunc extra non est purus amor fidei.

Isaacus Faustius. D.

Quam facis egregiè Mi dilectissime Fili,
Dum Sophia campum pervolitare studes.

Si bene sorbisti Logicam, qua sola gubernat
Artes, cui reliquas subdere colla decet.

Macte age sis virtutis nova, nec terga reflectas,

Si sophus esse nequis, Theiologaster eris.

Quod de Theologia Vera disquirere tentas

Jannæa, & nisu pulpita sacra subis;

Hoc probat Argentina, suis qua quinque per annos

Oris detinuit Te, merito atque lubens.

Approbat hoc quoque Jovæ, juvatque BEBELIUS ipse.

PRÆSES, Theiologum maxima stella Virum.

(Quem Tecum servet Musis clementia Jovæ,

Atque choro sacro, quem super esse velit.)

Hinc Patrii evades lampas præclara Lycei,

Es genium referes, ingeniumque patris.

Ita gratulatur PARENS Filio suo
Respondenti.

EST aliquid, coeco visum, dare currere claudo,

Non herbis tristem, at voce fugare luem.

Qualia Salvator multa, hoc dum vixerat orbe,

Edidit, & quæ non pagina sacra tenet.

Ista tamen retulit, quæ maxima signa fuerunt,

Et quæ sufficiunt traditione procul.

Hæc, Schæffere, refert Tua dissertatio docta:

Ut referat grates Patria grata, precor.

Esto memor nostri, nostro quoque pectore vives:

Pignus amicitiaë jam Tibi sume. VALE!

Ita festinantissimè gratulatus ex animo est DN.

Respondenti, Amico suo longe carissimo, &

multis nominibus honorando,

Johannes Henricus Majus, Sere-
niss. Veldent. Principi hactenus à Concio-
nibus Aul. nunc verò vocatus Ecclesia
Durlac. Pastor, & Illustr. Gymnas. quod
ibidem est, Linguar. Oriental. Profess.

PASCE meos agnos, dixit Salvator JESUS
Isti, quem Petra nomen habere cupit.

Pascat

*Pascat ut & quondam, pascatque fideliter agnos
Schæfferus, studiis comprobet idque suis.
Ut bona quæque sibi liceat sperare sub hocce
Nomine, conveniat scilicet omen Ei.
Est, quod, Amice ! Tibi, sincero corde precatur
Is, qui semper erat, permanet atque Tuus*

Amicus sincerus,

M. Israëli Dieterlin, Sept. Class.
Præc.

Quem magnus generis splendor, quem Cura Magistri
Extulit, ac docuit quem sinus ipse DEI;
Hunc sequeris Schæffere ducem, discendo docenda,
Inde pii titulum Theiologiæ feres.

*Ita de egregio Clarissimi Dn. Respondentis de
Theologia Johannaæ conceptio specimi-
ne ominatur Amicus,*

M. Joann-Conradus Arnoldi,
Trorbacensis.

Non satis est, didicisse suam non segniter artem
Solertem cravis se dare posse decet.
Nullus is est miles, modò qui gerit arma vibratque,
His decet adversos vincere posse Viros.
Opilio non est, qui tantum claudit ovile,
Se monstret rapidos posse fugare lupos;
sic Schæffere, Tibi satis haud est discere multum,
Multum de cathedra Te quoque posse probas.
Jam monstras, pariat quantos industria fructus,
Quos poterit patrium participare solum.
Perge probare Tuum studium, tandemque laborum,
Quem Tibi proponit spes tua, finis erit!

Hoc, ut postulabas amicitia, appositis

Joh. Benedictus Mesler/ Annæ-
bergâ-Misnicus, SS. Theol. Stud.

F I N I S.





